

niores, inde ad philosophiae tyrocinia deduxit. De hoc Socero suo saepius dicere solitus est noster, eundem ingenuo se semper amore dilexisse studia sua liberalitate prouexisse, humanitate fulciuisse, vitae exemplo praeluxisse. Hunc vno, aut certe vix vno parente inferiorem, siue affectu, siue veneratione, solam agnoscendi et admirandi facultatem sibi reliquisse. Studia vero sua ita adornauit, vt, cum apud animum suum, accedente insuper paterna sententia, prorsus constituisset, tradere se totum posthac sanctiori disciplinae, quam Theologiam vocamus, ad eam non sine instrumentali famulatio Philologiae simul et Philosophiae accedere decreuerit. In Logicis igitur, Physicis et Metaphysicis sedulus auditor fuit M. VAL. SITTIGII, Schleusinga Franci, Theologiae postea Doctoris et Primarii apud Martisburgenses in Saxonia superiori et aulae et ecclesiae praefulis, M. ISAACI et M. IOANNIS, FAVSTIORVM, Theologorum postea in eadem Academia et voce et scriptis celebratissimorum et IO. RVD. SALZMANNI, Medicinae Doctoris et Philosophiae naturalis Professoris Ordinarii. Ebraicam deinde litteraturam, iuncta quoque Syriaca, Chaldaica et Rabbinica, praeunte D. BALTH. SCHEIDIO, linguarum orientalium Professore, seuerè excoluit, commentatoresque Iudaeos, Kimchium, Isaacidem et Aben Esram in Zachariam vatem, aliasque ex vasto Bibliorum Buxtorffianorum opere non contemnendas particulas in latinum sermonem eo tempore conuertit. IO. CPH. ARTOPOEVUM, quem ob historiae veteris philosophicae praeclaram scientiam toto animo venerabatur, in Theologia

logia